



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXIV. Rvthardvs. Elector VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XXIII. WEZILO ELECTOR VII.

WEzilo Sigfridi Successor ubi natus, aut educatus, & summis muneribus sese reddiderit idoneum, non meminerunt Historici, contenti memorâsse solum, quod ab exordio dignitatis suæ Henrico IV. & Pseudopontifici Clementi veriùs pertinaciter, quàm constanter animum suum devoverit, Gebhardo Salisburgensi Archipræsule & Episcopis ferè universis in Concilio Moguntino refragantibus, & Deum rectè factorum remuneratorem scelerumque vindicem testantibus. Torrenti demum cedendum ratus pro Pontifice contra Cæsarem ferre suffragia, & dicere sententias cœpit: unde damnato errore suo Archipræsul & Elector Imperij intentata & inflicta ab Henrico vulnera magno tulit animo, ut disceret pati & mori: mortuus namque est, postquam an. 4. potiùs sedere desideravit, quàm sedit sub Gregorio VII. & Victore III.

SECULUM XII.

XXIV. RUTHARDVS; ELECTOR VIII.

Ruthardus ex Erfurdia ad D. Petrum Abbate electus Moguntia Elector, statim in Archiepiscopatus sui exordio refragari pro viribus Henrico IV. constituit, contempto quovis corporis & fluxarum rerum periculo. Atque conceptam animo constantiam non magis verbo, quàm opere exhibuit: ab Henrico enim sede Moguntina in Thuringiam exul pulsus, annis ferè 9. in castello Hartesbergensi gravem rerum inopiam pertulit, proventus interea Moguntinos rapiente Henrico proscripso Cæsare. Tandem an. 1105. Henrici V. contra patrem pro Ecclesia & Imperio pugnantis potestate unà cum Episcopis aliis restitutus Ruthardus, anno proximo Ingelhemij Henricum genitorem insignibus Imperij exuit, ut filium iisdem indueret, gratulante Germania

universa. Pontifice dein Paschale II. Gallias petente, & concilium Trevis celebrante, cum non comparuisset Ruthardus, ab officio suo ut tantisper abstineret iussus, literas singularis demissionis, prudentiae & obedientiae testes ad Pontificem dedit, quibus senectutem & sinistram corporis valetudinem, atque vicinam mortem non suscepti in se itineris testimonia attulit, & veniam facile impetravit, dignissimus divinis praemiis Antistes, qui contempsit humana. Mortuus est an. 1109. sedis 22. quo tempore sederunt Victor III. Urbanus II. & Paschalis II.

XXV. ADELBERTVS I. ELECTOR IX.

Adelbertus I. aliis Albertus, ex virorum Principum prosapia natus, Henrico V. Caesari à consiliis fuit arcanissimis, & ferè unus maximi aestimatus, cum urgerent res summi momenti Imperatorem: quare hujus potissimum auxiliis in Moguntia sedem euectus, egit & tulit fortiter plurima amicus Caesaris usque ad aram: Henricus enim V. cum parentis exemplo in Ecclesiae jura aditum sibi negatum animo ferret ægerrimo, & ferro vim jam minitaretur, quin vim jam inferret, Adelbertus constantissime stetit, pro Pontifice contra Caesarem. Verum ob hoc ipsum in furias acto Henrico in custodiam datus, triennio toto ferè ad necem usque est fame maceratus. Qualis quantisque Adelbertus fuerit, ex civium Moguntinorum fide licuit etiam metiri; cum enim Imperator an. 1112. Moguntia aliquamdiu commoratus fuisset, ab eisdem urbis confertis iisque armatis civibus tanto tempore & constantia est obsessus, ut nisi Archipraetulem suis restituisset Caesar, seditionem publicam experturus quamprimum fuisset. Conciliato demum Imperatore cum Romano Pontifice Calixto II. rediit equidem Adelbertus in gratiam Henrici, ut nihilominus procul à Jove minus timenda praevideret & vitaret fulmina, Aschaffenburgum aedificavit futurum sibi suisque asylum; cives verò Moguntia

tiae